



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

7. Cupidinis prava indoles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

corri peret: illéque fonem, hic figeret juvenem, factum est, ut repenté adolescens emoreretur: feniculus autem in juvenem refloresceret. Quoties hoc accidit, ut sub Cupidinis larva telum Mors intorqueat, & in ipso amoris æstu, libidinibus suis operantes configat! Tempore funestissimi illius per orbem universum diluvii, pharetratus puer mortalium omnium, pauculis exceptis, pectora foedè sauciárat: nam, ut reparator Orbis testatur, Matth. 24. *Erant comedentes, & bibentes, & nuptui tradentes.* Et Genes. 6. *Omnis Caro corruperat viam suam super terram.* Homines scilicet, spreto rationis ductu, in turpem libidinem projecti. Attende Catastrophen: Cupidineis arferant telis & ignibus; hinc in aquas præcipitati, senserunt inter undas, Mortis horridæ sagittas. *Veni diluvium, & tulit omnes.* loc. cit. Matth. Et Gen. 7. *Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram.*

VII. (g) Cæculi hujus pueri pravam indolem ingeniosè describit nobilis ævi nostri Lyricus lib. 1. od. 7. ad Simonem Iffum,

Res Amor mira est. Videt, ISSE, cæcus.

Cæcus est, quamvis oculo vidente

Natus. Absentes Amor urit absens,

Proximus exul.

Siccus in venis, madidusque vultu:

Siccus humectat, madidusque flagrat;

Fervidus tectæ gelidusque flammæ,

Ardet & alget.

Quando festivas quatit igne tædas,

Lumen extinguit: niveique floris

Prædo, pallenti violas vicissim

Pingit in ore.

Non habet frontem: tamen est venustus,

Navigat terras: volat absque pennis,

Vilis ac parvus puer, heu! feroces

Sternit Arridas.

Qui caret pilis, metuenda vibrat

Tela; non longas jaculatur hastas:

Pectori plagis acus inferendis

Sufficit una.

Missilem linguam capit ex pharetra

Oris, & figit jecur ulcerosum,

Stulta

(g) Cupidinis pravæ indoles.

Stulta plebs arcu putat & sagittis
 Grandibus uti.
 Ille (sic monstrat Cytherea mater)
 Non boum tendit sinuare cornu :
 Sed manus junctas utriusque amantis
 Curuat in Arcum.

De hoc puero Seneca in Hippolyto.

Iste lascivus puer ac renidens
 Tela quàm certo jaculatur arcu !
 Labitur totas furor in medullas,
 Igne furtivo populante venas.
 Non habet laetam data plaga frontem,
 Sed vorat tectas penitus medullas.
 Nulla pax isti puero, per Orbem
 Spargit effusas agilis sagittas.

Alius de hoc parvulo. Ignibus suis inflammat frigidissimos: laetitiam gratiarum ferreos emollit: humanitate frangit barbaros: mitigat urbanitate agrestes: suavitate feros domat. Amorum potius, quàm armorum bella gerit: grassatur illecebris, non insidiis: tela non inficit veneno, sed ambrosiam: vulnerat rosis, non spinis: sagittas, quas ad cor adigit, ab arcu oculorum emittit. Ejus spicula sunt oscula: adoritur mortalium pectora deliciis, non tormentis; gratiam, non terroribus; non laqueis, sed lenociniis; voluptate, non clade; leporibus, non machinis; veneribus, non vulneribus: faces injicit, ut amorem accendat: hostem, quem vincit, non in fugam, sed in amplexum convertit.

VIII. (h) Cæterùm Poëtæ fingunt alterum, meliore fato natum, Cupidinem, quem *Anterorem* vocant, id est, pugnantem & contrarium *Erosi* seu Cupidini Voluptario. Hinc apud Alciatum emblem. 110. Cupidine ad arborem ligato, Anteros ejus tela & arcum comburit: quo significatur, ab Amore cœlesti, terrestrem vinci. Huc facit, quod monet aureæ linguæ Orator hom. 24. ad Corinth. 2. Quomodo, inquit, pravi Cupidinis ignem extinguas, si igni quotidie alimenta adjicias? Subtrahe ligna foco. Et quid illud est, quod amas? Pituita & sanguis, ac corrupti alimenti succus. At lætus & splendidus flos est, inquit. Esto sanè: sed terræ etiam floribus nihil lætius ac jucundius est; qui tamen marcescunt, & in putredinem abeunt. Altius te mens erige, & quid sub colorata cute lateat, explora. Hydropicum etiam corpus ni-

Yyy

tet,

(h) Eros & Anteros, contrarii Cupidines.